Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1245
Quelle:
Copyright:



*dam fuerunt quesita de deo et quedam de cristo* &c. Subnexus est *Index*, qui omnium trium Quaestiones exhibet. Sodalis hic *Franciscanus Anglus de Middleton* Sec. XIII. Academias *Oxoniensem* et *Parisinam* multum illustravit, ut tradunt *Waddingus*, *Fabricius*, *Tannerus*, alii, qui ejus Scripta recensent. Inter haec *Quodlibeta* nostra lucem videre *Venetiis* prelo *Laz. Soardi* 1509. f. quibuscum collatum exemplar nostrum integrum est; non enim *Quodlibeta* LXXX. sunt, ut habet *Fabricius*, qui *Quaestiones* dicere debebat, nam re ipsa *Quodlibeta* tria in 80. *Quaestiones* abeunt. Illud addo: in edit. *Veneta* pro *de cristo* ut supra, legi *de Creaturis*. Neutrum male; nam et de Christo et de Creaturis in I. *Quodlibeto* agitur.

III. *fol.* 213. Anonymi disputatio: *Vtrum futura sint realiter presentia eternitati.*

CCCXIX.

310 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 119. f. per duas columnas sat eleganter scriptus et coloribus distinctus hoc titulo miniato gaudet: *Incipit compendium legis christi. et canonis sacri super quartum sententiarum editum a Magistro Johanne de Bachone ordinis fratrum beate Marie de monte Carmeli. In quo pertractantur questiones Theologice defendentes per uetus et nouum testamentum fidem christianam. et canonice. tam veteris quam noui iuris pertinentes ad conscientiam. Et ut per omnia fides et mores caritatis proferantur. protestor me tenere quidquid sacrosancta Romana ecclesia credit. tenet. docet et predicat. et quecunque hic dicam. vel usque ad extremum vite exitum. vel alibi dixerim sub quacunque forma verborum. correctioni et iudicio sacrosancte romane ecclesie suppono. et si quod absit aliqua ex hijs. non conuenirent fidei catholice aut bonis moribus illa omnia et singula reprobo et reuoco hic expresse.* Opus totum divisum est in *Quaestiones*, quarum *prima* sic inchoat: *Circa prologum quarti sententiarum quero istam questionem. Utrum ex scripturis veteris testamenti et sensibus earundem scripturarum certum sit christum iam venisse* &c. Ad calcem subtexitur geminus Index *Quaestionum*, et *Rerum*, et hic quidem ex ordine Alphabeti. Priori subscriptum est: *Explicit tabula questionum super quartum scripti de lege christi euangelica et de lege ecclesie canonica Fratris Johannis Bacon ordinis beate Marie de Monte Carmeli. doctoris in Theologia.* Unde noto, *Trithemium* non ita errasse Autorem *Baconem* adpellando, ut vult *Tannerus* in *Bibl. Brit. Hib. p.* 59. qui eum *Baconthorpium* a pago patrio *Norfolciae* dicendum contendit. Annum ejus emortualem statuit idem *Londini* 1346. postquam in Academia *Parisina* titulo *Doctoris Resoluti* claruisset, et Ordini suo in *Anglia* praefuisset.